

2599

B. M. II, 178

X 1881007

II m
629a

h. 50, 13.

BREVIARIUM
HISTORICUM
INCLYTI ORDINIS
VELLERIS AVREI:

AVCTORE

IVLIO CHIFLETIO, Regiæ Catholicæ Maiestati
à Consiliis, atque eiusdem Ordinis
Cancellario.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LII.

ALTORFII NORIC.

RECUDIT IOD. GUIL. KOHLESIUS ACAD. TYPOGR.

VII. 2. 3



1
M. M. M.
1. 1. 1.

ERBEN
HISTORISCH
INSTITUT
WELTER
STADT



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA
PONIICKAVIANA
M. M. M.
1. 1. 1.



ILLVST^{MO} ATQVE EXCELL^{MO}
DOMINO,
 D. IOANNI ADOLFO,
 COMITI
 SCHWARTZEMBERGÆ,

BARONI HOHENLANSBERGÆ, EQVITI ORDINIS
 VELLERIS AVREI, FERDINANDO III. IMP. AB
 INTIMIS CONSILIIS, PHILIPPO IV. REGI
 CATHOLICO A BELLICIS SVPREMIS, LEOPOLDI
 GVILIELMI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ PRIMARIO
 CVBICVLI PRÆFECTO.

EXCELL^{ME} DOMINE,

Etsi hunc Commentarium in
 gratiam Tui vnus scribere insti-
 tueram; ex vsu tamen tutius inclyti Ordinis
 Velleris Aurei vulgaturum me illum existi-
 maui, vt quoties sodalitia in posterum inscribe-
 tur quispiam, primâ fronte doceatur, quæ ne-
 minem

iiij

minem è Torquatis latere debeat: Originem videlicet, Constitutiones, Priuilegia, & alia nonnulla in primis memoranda, quæ in hoc Breuiario Historico non vbertim, sed paucis continentur. At verò itidem Tibi, COMES EXCELLENTISSIME, hoc opus neque inutile neque iniucundum futurum reor. Quamuis enim Tu pridem annos virtutibus anteuertis, & huius gloriæ candidati lateribus Regum Principumque adesse consueti, pleraque ante tempus addiscere soleant; quædam sunt tamen, quæ non nisi ægre & diuturno eiusmodi muneris vsu perspecta habere, rara felicitas sit. Quocircà huiusce Commentarii mei Te Præsidentem elegi tutelarem, qui Schvartzembergici stemmatis caput apud Germanos Francones, sæculorum atque obliuionis victrice profapiâ, & Heröum stirpe editus, tam illustrium Commilitonum agmen claudis: vnum nuper electum, nondum tamen Torque donatum, celeberrimi nominis MARCVM ANTONIVM COLVMNAM, Regni Neapolitani Comitem Stabuli & Taggliacozzis Ducem, primis in Comitibus lateri Tuo affiden-

affidentem habiturus. Nam de Maiorum Tuorum in Augustissimam Domum fide ilibatâ quid dicam? E multis pauca iuuerit collegisse, quæ modum Epistolarem non excedant.

Atauus Tuus ERCHINGERVS, cum duobus fratribus, Maximilianum I. Archiducem, postea Cæsarem, in Belgium comitatus est, ei que in primariis belli muneribus obsequium præstitit, ductâ illic uxore ex Comitibus de Marckâ.

Anno
1477.

Abauus Tuus GVILIELMVS I. Carolo V. Imp. acrem & indefessam nauauit operam, dum vnâ cum Antonio Duce Lotharingiæ rebellium Alsatiaë confiniumque populorum copias fregit fugauitque, ac tandem in Frisiâ Cæsareis armis toti que exercitui præfuit.

Anno
1526.

Proauus Tuus GVILIELMVS II. eidem inuictissimo Cæsari à Consiliis bellicis, post multas expeditiones pro Philippo II. Rege Catholico magnâ cum laude susceptas, in prælio ad S. Quintinum fortiter occumbens, aitam fidem in Augustissimam Domum lethali vulnere consignauit.

Anno
1557.

Anno
1572.

Anno
1595.

Bullenge-
rus lib. 10.
Histor.
pag. 316.

Auus Tuus ADOLPHVS, antiquis compa-
randus Heros, in obsidione Montis Hanno-
niæ, sub Philippo II. Rege Catholico Equi-
tum Germanorum Chiliarcha, militiae tyroci-
nium posuit: sub auspiciis deinde Rudolphi II.
Imperatoris, Equitatu primum præfectus,
mox totius exercitus Cæsareo-Christiani Lega-
tus generalis, hostis immanissimi Turcæ ma-
ximè infesta tunc temporis arma non semel
repulit; Viennæ Austriæ tandem à Cæsare Gu-
bernator constitutus; ubi de Iauarino Turcis
eripiendo consilia iniuit: Danubius ponte fræ-
natus est, copiæque transmissæ, urbs subacta,
Bassa eius Præfectus, utrâque manu acinacem
vibrans, confossus: prædam Adolphus in mili-
tes partitus est. Huius excidij famâ animi Tur-
cis fracti, qui Iauarinum clauem esse, quâ om-
nia Christianorum propugnacula panderen-
tur, gloriari solebant. Rudolphus Cæsar Adol-
phum Iauarini præsidio præfecit, attributis ad
custodiam vrbs armatorum millibus decem.
In Pannoniâ denique cùm Pappensium præsi-
diariorum defectione res Christiana magnam
cladem accepisset, Iauarino Adolphus eo ex-
currit,

currit, castra ad Pappam posuit, in quibus erant bellatorum millia nouem. Dum muri verberantur, cuniculos agit, aliisque operibus festinatis obsidionem vrget; obsessi capto ex desperatione consilio eruptionem noctu tentant, ad cuius strepitum accitus Adolphus aduolat; acriterque huc illuc discursans, ac suis animos manu ac voce faciens, glande ictus cadit: sicuti capto Iauarino magnum nomen consecutus, ita incredibili desiderio sui relicto. Corpus Viennam deportatum, & militari pompa elatum ac conditum est. Idemque tradit Ioannes Serrius; nimirum *Adolphi mortem extremum in exercitu Cesareo luctum excitasse, uniuersoque Christianorum generi ansam praebuisse, ut viri egregiam animi virtutisque bellicae laude praeclari memoriam perpetuo colerent; cuius cadaver Caesar Viennam deportari, eiusque funus militari pompa exequi iussit.*

Thuanus
lib. 124.
Anno
1600.

In Rerum
Francic.
inuent.

Pater tuus ADAMVS ob eximias animi dotes ad consilia primorum Imperij Magnatum certatim quasi tractus est; adeoque insignis fuit, ut Ferdinandus II. Imperator pro recuperanda eius valetudine aliquando votum emisserit.

De Virtut.
Ferdin. II.
cap. 7.
An. 1636.

emiserit. *Ratisbonæ anno M. DC. XXVI. cūm*
in Comitibus Cæsar degeret (inquit Guilielmus
Germæus de Lamormanni) peregrinationem
Cellas vouit, & cum eo Augusta, si Ferdinan-
do III. Romanorum Regnum ab Electoribus
deferretur; pariterque ibidem donarium Boden-
bergensi Virginis templo, si ADAMVS Comes
Schwartzembergius, Brandenburgici Electoris
Princeps Legatus, idemq; Catholicæ fidei cultor,
vir prudens & cordatus (qui ut reualeret Rei-
publicæ multum intererat) sanitati restitueretur.
Secuto euentu, voti utriusque reus, secundum
illicò exsoluit.

Tu verò IOANNES ADOLPHE, sa-
 pientissimi Parentis Tui curâ & studio in om-
 ni virtutum & scientiarum genere educatus,
 auitas animi dotes in Aulam Cæsaream Te-
 cum ferens, in ipso iuuentutis flore veteranus
 illicò habitus es, & dignus qui non modo rem
 bellicam consilio iuuares, sed etiam Serenif-
 simi Archiducis LEOPOLDI GVILIELMI
 cubiculo præficereris, titulo & munere sum-
 mi Camerarij. Itaque per expeditiones Princi-
 pum optimi, seu in Germaniâ Superiore, seu
 in

in Inferiore nostrâ, sacri lateris fidissimus Comes, postea Legatus in Hispaniam missus es ad potentissimum Regem PHILIPPUM IV. qui te Mantuæ Carpetanorum, Senatorem supremi Concilij sui bellici præsentem habuit; aureo torque gemmis distincto, pretiosâ amoris & benevolentiaë tesserâ abeuntem, & mox absentem ORDINIS sui VELLERE AVREO sponte donavit, hereditariâ quadâm prærogatiuâ; nam eodem decore iam insignitum GEORGIVM LVDOVICVM Schvartzembergium, Consanguineum Tuum, parens meus alibi in fastos retulit, qui cùm sine liberis decessisset, Te ex asse scripsit heredem, prælagâ quâdam mente, non modò bonorum omnium, sed etiam virtutum, atque illustrium ornamentorum. Mirati sunt Hispani, Germani, Belgæ, Te vltro citroque commeantem, de Cæsare de que Republicâ bene semper merendo, ire ac redire, neque alio ad summa decora duce (quemadmodum de Iulio Romani Imperij conditore narratur) quàm propriâ virtute ac meritis vti. Prætereâ rei cùm Historicæ tum Politicæ scientificissimus, inter ceteros Ordinis tui consortes præstas atque emines, qui aulicas inter occupa-

B tiones,

*In Infigm.
Gentilitiis
Equitum
Velleris
Aurei.*

tiones, quàm in legendo rectisq̄ue consiliis
 suggerendis sedulus sis, omnes ita norunt, vt
 PRINCIPIS OCVLVS passim habearis.
 Ὀφθαλμὸς βασιλείῃ, inquit Suidas, ἀντὶ τοῦ μέγα
 δυνάμεν ὡς βασιλῆα: *Oculus Regis, pro eo, qui
 multum potest apud Regem.* Quâ quidem in
 electione SERENISSIMVS ARCHIDVX,
 incredibili non modò bonitate, sed etiam sa-
 pientiâ Princeps, magnum iudicii laudem est
 consecutus; vti ego nonnullam me apud illum
 gratiam adepturum spero, si Tibi probabuntur
 mei labores atque obsequia in Augustissimam
 Domum, si quaecunque monumentum
 clientis multiplici ratione nunc Tui, eiusq̄ue
 Ordinis, cui nuper dedisti nomen, primarij
 apud Regem Ministri, solitâ beneuolentiâ ad-
 mittas: quæ opto ac voueo, Madriti Kalendis
 Iuniis M. DC. LI.

Julius Chifletius.

LECTORI.

PAVCA adeò de inclyto Ordine VELLERIS AVREI scripta fuere haetenus, ut de eo multa multi loquantur, pauci tamen intelligant. Cùm autem Commilitones ipsos ante omnes in rerum eiusmodi cognitionem venire necesse sit, ne in patrio solo peregrini esse videantur, statui dum iis consulo, Tibi quoque, prælo committens opusculum, non inutilem fortasse nec injucundam operam nauare. Neque idcirco in posterum ab HISTORIA rerum in hoc Ordine gestarum scribendâ erit quies; quin maius, uti spero, ad pergendum ac tam illustri operi finem imponendum erit incitamentum. Interea temporis hîc styli minimè compti nulla à me exigenda ratio est. Scripsi quippe familiariter, & Proceribus quidem, quorum magna licet in omnibus elegantia sit, nulli tamen iniuria fiat, si minus ab iis studeri Latii sermonis nitore vitium non esse subiecero. Vale & fruere.

Patres Synodi BASILEENSIS in Epistolâ ad PHILIPPUM Ducem Burgundia, & ceteros VELLERIS AUREI Sodales, data Basilea die quartâ Novembris, anno M. CCCC. XXXII.

AVDEMVS etiam Vos nuncupare non tantùm MILITES mundi, sed IESV CHRISTI; pro cuius amore tali Confraternitati nomen dedistis, sub promissione & desiderio FIDEM CHRISTIANISSIMAM defendendi, statumque & libertatem nostræ MATRIS SANCTÆ ECCLESIAE. O Homines verè Catholicos, & Equestri Ordine dignissimos! ô fortissimos Pugiles, & MACHABÆOS RESVSCITATOS! Ô BENEDICTUM ORDINEM, & SANCTAM SODALITATEM, quæ per omne tempus laudari debeat!

BRE-

BREVIARIUM
HISTORICVM
INCLYTI ORDINIS
VELLERIS AVREI.

CAPVT I.

PHILIPPVS BONVS, *Dux Burgundiæ,
Ordinis Institutor.*

PHILIPPVS Burgundiæ Dux eius no-
minis III. Belgici conditor Imperij,
atque auctor Inclyti huius Ordinis; pa-
trem habuit IOANNEM INTREPIDVM
Burgundiæ Ducem, Matrem MARGA-
RETAM Bauaram: Auus illi PHI-
LIPPVS Dux Audax, Ioannis Francorum Regis filius,
qui ob egregiam patri nauatam in prælio Pictauiensi
operam dignus ab eo reputatus est, qui Ducatu Bur- *Vide Vind.*
gundiæ ad se nuper iure propinquitatis, & materno qui- *Hisp. c. 8.*
dem, reuerso donaretur. Ceterum Philippi Boni Or- *& Lum.*
dinis Institutoris gesta referre consilium est, eaque in *Sal. 11.*
epitomem contrahere. *12. 13.*

Bello & pace nobilis Princeps, prioris rudimenta po-
suit vbi veterani Duces lubentissimè desinerent. Ioan-
ne patre, coram Delphino Carolo (qui deinde Fran-
corum septimus eius nominis Rex fuit) trucidato, pius
in parentem filius ad vindictam exarsit, annos natus

*Guiliel.
Fil. riuus
in Opere
de Velleri-
bus Iacob
& Gedeo-
nis.*

tres & viginti: & cincto à se obsidione sancti Richarij oppido, baltheum illic militare & calcaria aurea pro sæculi more primùm consecutus est: festinantibus quippe ad auxilium hostibus egressus ipsemet obuiam è castris, medios inter hostes, strictis in se quatuor lancearum acuminibus, solo gladio sibi relicto, solus utique salutis viam sibi aperuit, & nullâ morâ tres ex iis captiuos abduxit, aliosque mox non iam gregarios, sed belli Duces, Confluentium Dynastam, Potonem Saintraillium, & Ioannem Rolletum habuit in potestate; tandemque benignissimè habitos, liberos & sine lytro abire permisit.

*Scriptores
equales.
Oliuar.
Marcan.
in Commen-
tar.*

Hæc bellinon tam suâ quàm necis paternæ causâ inchoati initia fuere: in cuius decursu HENRICVS V. Anglorum Rex, Trevis, Campaniæ Gallicæ Metropoli, coronam Regni Francorum, ad Caroli VII. contumeliam, Philippi operâ solemni inauguratione fortitus est; eoque adactus Carolus, vt Pacem deprecaretur Atrebatum, anno M. CCCC. XXXV. coactus fateri, dolere se de Ioannis Intrepidi cruentâ cæde, eiusque condonationem à Philippo filio exposcere.

*Scriptores
Burgundia
& Lothar-
ringia.
Marcan.
loc. citat.*

Neque vnus Caroli Regis tantum victor extitit, sed RENATI quoque Siciliae Regis, quem in pugna ad Bulnevillam captum, æquis postea conditionibus dimisit.

Finitimos Eburones, quietis impatientes, eiusque prouinciis supra modum infestos, frequenti clade compescuit, & iisdem poplite flexo supplicibus pepercit: clementiâ utique nomine suo & animi magnitudine dignissimâ, quam & Flandriæ clientes, pari erga eum obsequio veniam flagitantes, haud semel experti sunt.

Carolum

Carolus Aureliani Ducem in Angliâ captivum redemit ære proprio, & in sodalem Ordinis assumpsit, de-
 posito capitali patrum odio qui sibi necem mutuo ma-
 chinati, cæsis diuturno inter se bello quadringentis &
 amplius hominum millibus, familiarum centum propè
 millia luctu & orbitate compleuerant. Ita non hostium
 suorum modò (quod septies celeberrimâ de iis repor-
 tatâ per vitam palmâ contigit) sed sui victor æternum
 sibi decus comparavit.

*Acta Or-
dinis.*

*Filatriss
loc. citat.*

Transfugam ad se LUDOVICVM Delphinum ho-
 spitio excepit, & CAROLO VII. patre extincto, eum-
 dem Remos deductum, stipatumque instructissimo su-
 pra hominum memoriam exercitu, frementibus ne-
 quidquam Regni Proceribus, ab eodem Delphino in
 adolescentiâ spretis, coronari iussit.

*Ioan. de
Haynin in
M. S. Com-
ment.*

Christianos inter Principes primus illi gradus ab Re-
 gibus in frequentissimâ Basileensi Synodo, Ioanne Ger-
 mano, Cabilonensi Episcopo, primo Ordinis Cancel-
 lario perorante, decretus anno M. CCCC. XXXIII. Et
 quidam etiam è Regibus fuere, quibus nec ipse cederet;
 Siciliae nempe, è Regiâ Andegauensi stirpe, cuius uxori,
 quoties Isabella Lusitana, Philippi coniux occurrebat,
 neutra cedebat alteri: teste in scriptis posteriorum me-
 moriæ relictis illustri quâdam matronâ: quæ de illis
 duabus feminis Principibus loquens, festiuè ait; neu-
 trius illarum ligulas ex incuruato ad reciprocam saluta-
 tionem corpore fuisse diruptas.

*Petrus
Saniulian.
de Origine
Burgun-
dion. c. 3.*

*Leonora de
Pisbauiâ
in M. S.
Commentar.*

Finis pertinacissimi in Ecclesiâ schismatis, & præstita
 vni EVGENIO IV. summo Pontifici obedientia, Phi-
 lippi quoque nostri opus fuit; vt non iam vnus alte-
 riusve propinquorum illius, aut affinium quos benefi-
 ciis

*Monumen-
ta Ordinis
& Constitu-
tiones c. 5.*

ciis auxit; sed ipsius omnium parentis ac Matris Ecclesiae propria erga eum grati animi significatio esse debuerit.

*Filarius
loc. citat.*

Famae colophonem imposuit semel iterumque recusata Romani Imperij corona; vel sic longè maius, quàm si admisisset, nomen adeptus, cum excelsum illud fastigium mereri, quàm assequi haud minùs gloriosum sit.

*Oliuar.
Marcan.
in Com-
mentar.*

Tandem adiectis auito patrimonio nouis Brabantiae, Limburgi, Namurci, Haynoniae, Hollandiae, Zelandiae, Luxemburgi, aliisque regionibus, relictâ filio pretiosâ suppellectile, nobilibus gemmis, aureisque magni ponderis vasis, & plurimâ argenti signati copiâ, Brugis Flandriae, in ipsis vbi Ordo Velleris Aurei inchoatus fuerat aedibus, placidè & piissimè obiit anno M. CCCC. LXVII. die Iunij xv. Cadauer Diuionem, Burgundiae Ducatus Metropolim, delatum, & in Capellâ Ordinis ibidem expositum, inde in suburbanâ Carthusiâ, vbi auo patrique mausolea sumptu plusquam regio ipse excitauerat, sepultum. Caruit ille hactenus debito, vti par erat, monumento, ob extinctum decennio post Carolum filium, & vsurpatam à Ludouico XI. Burgundiam.

Cor eius Hierosolymam morientis iussu perlatum. Magnâ, eleëmofynæ nomine, adiectâ auri summâ, futuro illic eius in Christum patientem amoris pignore, Regum Principumque sub idem tempus consuetudine, qui conceptum sacrae militiae votum viui non adimplerant.

CAPVT

CAPVT II.

*Ejusdem PHILIPPI Fundatoris in
Ecclesiam obsequia.*

Non hîc ego suscepturus sum PHILIPPI Principis optimi partes, vt exsomnes illius noctes, vota publica priuataque, cum de suppetiis Thraciæ pereunti ferendis ageretur, oculis hodiernis repræsentem. Lacrymas etiam eliceret incuriosus & minimè elaboratus stylus: fileo proinde, & Historiæ ordinis breuî lucem inspecturæ narrationem totam committo. Paucis itaque pauca dumtaxat, & verbis alienis trado.

GEORGIVS CASTELLANVS in primis, non quæ audiit, sed vidit ipse, inculto sermone suo sic nos docet:

*J'ay veu de Georgie
Et du haut Orient,
De Perse & d' Armenie
Diuerfes estranges gens;
Mesme d' un infidele,
Transmettre au ROY CHARLON,
Pour lui donner querelle
Contre le Turc felon;
Le HAVT DVC de BOVRGONGNE
Fort bien le recueillit,
Dont l'œuure assez tesmoigne
Quel honneur il lui fit.
L'honneur fut si profonde,
Et de si haut ain fait,
Que iusqu' au bout du monde
La memoire s'en fait.*

Vidit ea Castellanus, traditque famam ad extremos orbis fines eâ de re perlatam. Alter verò qui sequitur,

C

non

VT

non vidit modò, sed eorum quæ narrat consiliis interfuit. Is est GVILIELMVS FILATRIVS Tornacensis Episcopus, secundus Ordinis Cancellarius; cuius de Philippo hæc verba sunt: *Ponderemus, utrùm in verâ Fide vixerit necne, atque ante omnia Diuinum officium intueamur singulis diebus in eius aulâ celebrari solitum: Deuotiones deinde peregrinationum & eleëmofynarum, quas diebus item singulis elargiri solitus erat, hoc ipsum abundè testantur. Verùm clariùs id probat insigne illud quod exhibuit studium eidem Fidei tuendæ, præstitis auxiliis, quibus RHODVM Insulam à Saracenorum inuasionem liberauit seruauitq; misso è Flandriâ in Orientem exercitu. Hungaris item in Turcas auxilio fuit, armatis ad hoc triremibus, quæ è Slusano portu soluerunt, et ad usque mare maius profectæ, hoc ipsum quaquà patet traiecere: mox Danubium in ipsâ Valachiâ, quam Turcæ sub id tempus inuaserant, ingressæ sunt: quo in loco nunquam antea visus fuerat Christianorum exercitus. Euentus propemodum fidem superat; quoniam Oceanum ingredi opus fuit, præternavigare Hispaniam, & inde Mediterraneo secundum longitudinem emenso Constantinopolim appellere: neque id solum, sed insuper aduersus Bosphorum (sancti Georgii brachium vocant) superare: atque inde mare maius, Pontum videlicet Euxinum ingredi (cuius mille milliarium circuitus est) & ex eo Danubium trajicere, qui illic in eisdem Valachiæ finibus sese in mare exonerat. Ecquis amabo Catholicum Principem hunc ad hosce sumptus ferendos impulerat præter Fidei Christianæ, in quâ vixit, ardorem? quæ ex illius pectore omnem maculam usque adeò absterfit, ut par sit credere eum Numen ipsum facie ad faciem intueri, & ab eo propter deuota hæc obsequia remunerari.*

Hæc

Hæc Filatrius Episcopus: quibus addo, sed LADIS-
LAI Regis Hungariæ & Poloniæ verbis; *Præter Eu-*
genium Papam IV. unum PHILIPPVM Burgundia
Ducem, afflictæ fortunæ onus non detrectasse (quia nem-
pe & ipse coram adesse voluit, voritq;) & in Helleston-
tum usque transitum Turcis fortiter prohibuit.

*In Vitâ
Scander-
berg. lib. 2.*

CAPVT III.

Causa Ordinis instituti, & Origo nominis.

CONTVMELIOSVM est commentum, quod nec anilis
fabulæ meretur nomen, cuius primus auctor
Andreas Fauinus, musteus scriptor & famæ ignobilis.
Cùm diu super eâ re multumq; cogitasset Philippus, inquit
gravis Scriptor, huic Ordini initium dedit Brugis Flan-
drorum anno M. CCC. XXX. Januarii decimo die, quo
ibi Isabella Lusitaniæ, Joannis I. Portugallia Regis fi-
lia, matrimonio iunctus est. De quo etiam in Supple-
mento, seu Appendice ad Annales Baronii Ludouicus
Aurelius: Capta Rothomagi puella Aurelianensis, qua
tum vrbs Anglicarum partium erat; anno sequenti
M. CCCC. XXX. vel proximo, igne vitam finit, virilis
plusquam animi virgo, quo tempore VELLERIS AVREI
ORDINEM Philippus Burgundia Dux instituit, qui ho-
diernis temporibus Hispanicæ Gentis, & qui eius factio-
nis sunt, INSIGNE ORNAMENTVM EST ET PRÆMIVM.

*In Theatro
Honoris.
Pontus
Heuterus
in Philippo
Bono.
Stylo no-
vo, ab as
M. CCCC.
XXIX.*

Singularis autem Philippi scopus fuit REMEDIVM
& AUXILIVM ECCLESIAE, sanctæque Fidei Christianæ,
Olivario Marciano teste, viro illustri, & in aula Funda-
toris ex ephelis adusque Palatii supremum regimen
educato; Auctore nec non etiam Georgio Castellano
in Poëmate ad ipsummet Philippum Bonum Ducem:

*Lib. I.
cap. 15.*

*Ex M. S.
Codice.*

*Mais n' est d'oubly le hault esleuement
De la TOISON, haulte & DIVINE EMPRISE,
Que*

*Que pour confort, ayde & reparation
De NOSTRE FOY, en long proposément,
Tu as mis sus, diuulgée & emprise,
Soubs autre GRAND RELIGION comprise,
Touchant HONNEUR, & publique equité,
Pour estre mieux ENVERS DIEV acquitté.*

Quibus haud inconcinnum accedit distichon, sarcophago demortui Philippi inscriptum:

*Paradin. in
Annalib.
Burgund.
In Epist.
M. S. de
Apparatu
conuiuial. in
Comitiis
Ordinis.*

*Pour maintenir l' EGLISE, qui est de DIEV MAISON;
J'ay mis sus le Noble Ordre qu'on nomme LA TOISON.*

*Lib. 7. Me-
tamorph.*

Plane historiam impositi nominis, & ab Iasone primùm, deinde à Gedeone mutuati, fusè tradit idem Oliuarius Marcanus; iamque annos natus septuaginta sex narrat PHILIPPO I. Castellæ Regi, Fundatoris pronepoti, in hunc modum: *Æquum est, inquit, ut moneam te, cui fundamento innixus PHILIPPVS Bonus Dux, Proavus tuus, fuerit, cum Ordini Nobilis Velleris Aurei initium dedit: & primùm quidem IASONIS mythologiam secutus est, quem ferunt peregrè in Colchidem, inde magna magnitudinis Arietem: cuius pellis vellus & universa facies aurea erat, ablaturum, migrasse. Tum multis de ipsâ fabulâ ad nauseam usque interiectis subjungit: At supervenit Cancellarius Ordinis, quidam Cabilonensis in Burgundiâ Episcopus, nomine IOANNES GERMANVS, primæ notæ Clericus & Orator insignis, qui eandem sententiam & exemplar immutavit, & auctor fuit Historiæ Gedeonis, cuius in sacris Bibliis mentio, potius imitanda.*

*Cap. 6. Ju-
dicum.*

Ita se res habuit, idque primi Ordinis Cancellarii Joannis Germani consilium pedibus manibusque posterius secuti sunt: textique placuit dives illud, quod hodieque in Regiâ Bruxellensi supellectile cernitur, Historiæ Gedeonis peristroma, auro, argento & eximiâ artificis manu

manu pretiosum. Verùm non idcirco damnandus PHILIPPVS ob adscitum à se prius illud Iasonis argumentum: etenim qui Sodalitiorum quorundam nomina à Principibus institutorum non ignoraverint, hanc AVREI VELLERIS appellationem minime mirabuntur; præfertim si de Sodalitio Navis in Siciliâ, Elephanti in Daniâ, Draconis in Hungariâ, Stultorum denique in Cliviâ, qui tamen sapientes & nobilissimi Proceres erant, quidpiam legerint, vel audiverint. Quid porrò mirum de illis regionibus Christo & Ecclesiæ adjungendis heroica consilia Philippum agitasse, unde fabulæ Iasonem Vellus Aureum victrici manu retulisse cecinerunt, & ubi Andream Apostolum Christum prædicasse Historiæ memorant? Ridebit etiam fortasse quispiam è rudium & imperitorum grege convivium Insulense, in quo PHILIPPVS noster voto publico (postea tamen Francorum dolis antiquato) sacræ in Turcas expeditioni suscipiendæ sese obstrinxit anno

*Marc. in
Commen-
tar.*

M. CCCC. XLIII. quia votum ipsum coram Phasiano, ave peregrinâ, non solum Deo factum, sed etiam in illius avis nomen conceptum fuit. Gravis tamen & magni per ea tempora momenti ritus exstitit. Avis quippe illa Phasim Colchorum prægrandem fluvium designabat, à quo Phasiani sumpsere nomen, quòd ibi magnus eorum sit proventus, unde ab Argonautis in Græciam advecti putantur. Adde, quòd ejus celeberrimi fluminis accolæ, primâ Andree Apostoli prædicatione illustres, gemebant infideli jugo oppressi eo tempore, quo votum illud à Philippo Duce conceptum fuit: unde in eo convivio prodiit nobilis personatus, non fallendo tempori, sed lacrymis eliciendis, qui Ecclesiam Catholicam luctu squallidam & in Oriente vastatam referens, Aulam universam moveret, &

ad sacram Militiam concitaret. Verba egomet hujus ipsius sponsæ gemebundæ, ad Velleris Aurei Sodales, ceterosque tum fortè habita, majorem dictis conciliaturus fidem, adjungo:

*Vous Cheualiers, qui portez LA TOISON,
N' oubliez pas le tresdiuin seroice.
Et vous aussi nez de bonne maison
Gentils hommes, voici belle ochoison
Pour acquerir de los le benefice.
Mon secours est pour ieusnes gens propice,
Les noms croistront, & l' ame enrichira,
Du seroice que chacun me fera.*

CAPVT IV.

*Symbolum PHILIPPI BONI, eoq; contextus
Torques, Insigne Ordinis.*

*In Commen-
tar. Gen.
Aust. lib. 1.
c. 8.*

QVIA Sodales communi aliquo symbolo dignosci ab aliis Heroum Sodalitiis par erat, suis Philippus proprium designavit: fuit autem, ut ipsæ Constitutiones habent, *Silex & Igniarium*; è quorum collisione scintillæ frequentes emicant: ex iis igitur è puro auro fufis Torquem contexi iussit, appenso insuper & imminente pectori ipso Vellere Aureo. Symboli porrò causam aperit Wolfgangus Lazius Germanus scriptor, quam memorat à Ioannis Intrepidi, Philippi Boni genitoris, in Hungaricâ Turcas inter captiuitate sumpfisse initium; ob vaticinium Astolgandi cuiusdam nobilis harioli, *Fore ut olim ipse, vel ejus posterorum quispiam, qui ignem gestaret in pectore, Saracenos vinceret, gentemq; eorum deleret universam.*

Certè animi ad bellum anhelantis, ultimiq; exitii ejusmodi hostibus inferendi signum verè germanum fuit: ac tale votum illius fuisse docet apponi solitum lemma,

lemma, AVTRE N'AVRAY: hoc est, *Aliud non habebō*: ut indicta Sodalibus perpetua Velleris Aurei gestatio ante oculos continuo fervaretur; & dum Phryxi & Helles, unde Hellesponto nomen, memores essent, recordarentur simul paternæ captivitatis Ioannis Intrepidi in extremæ Hungariæ finitimis regionibus, & Hellesponto atque Ponto Euxino vicinis; cui & unà Christiani nominis gloriæ vindicandæ se totum Philippus suâque omnia consecraverat. Hinc nulli alteri militiæ dare nomen Sodales possunt, imò neq; ad diem unum Torquem deponere: hoc tamen ultimum singulari Caroli V. privilegio paulisper immutatum; dumque molestiæ vitandæ consulitur, decreta illius certis tantum anni diebus fuit gestatio, reliquis verò permissum uti filo serico rubro, aut etiam aureo, Vellus, & quidem solum, pectori cujuslibet appensum in usu esset: quod observatur.

*Constitut.
cap. 2.*

Addit. c. 8.

Si incuriâ gerentis pereat Torques, ære suo novum conficere tenetur; at si in acie & conflictu, ut sæpius accidit, aut alioqui nullâ suâ culpâ deperditum fuerit, alterum sufficere haudquaquam partes illius erunt: uti de Barone Nieuhaufio, supremo Bohemiæ Cancellario, narrabimus; cujus supellectile universâ casu in Danubium demersâ, cum unâ Torquis iacturam fecisset, educta dumtaxat pauca è flumine fragmenta impune restituta sunt.

In ipso ad ordinem ingressu monetur quilibet hujus ipsius Torquis fieri solitæ, imò debitæ restitutionis post extrema cujusque fata: neque enim (quia paternæ & propriæ, non autem alienæ virtutis præmium fuit) illicò superstibus filiis conferri solet. *Cap. 39.*

Quin etiam demortui Commilitonis scuto siue tesseræ Gentilitiæ hoc ipsum decus pictum circumducitur, in perpetuum gesti honoris monumentum. Idque serva-

Acta Ordinis.

Instit. de Excusationib. Tutor. in principio.

servatur, ubi præmissam electionem secuta Torquis traditio fuerit; alioqui minimè. Tamen id singulare, ut si in acie dumtaxat electus ceciderit, quia per gloriam vivere intelligitur, perinde ac superstiti, ut fufius aliquando dicturus sum, idem omnino honos habeatur.

CAPVT V.

Ordinis confirmatio Apostolica, ejusdemque per uniuersum orbem æstimatio.

Ex Cod. M. S.

*An. 1451.
& 1468.
An. 1461.
Lib. 19.
cap. 3.*

EVGENIO Papæ IV. quantum ad auctoritatem Apostolicam attinet, confirmationem suam inclytum hoc Sodalitium debet: rata quippe Statuta & Constitutiones habuit: & si quid eis fortasse deesset, supplevit anno Christi M. cccc. xxxiii. Pontificatus tertio; idemque præstitit LEO Papa X. anno M. D. xvi. Pontificatus quarto. Sic autem de illo per Eugenium PP. confirmato Georgius Castellanus in Elogio Philippi Boni, quem vocat Ducem & magnum Leonem: *Pour eua-der des Engles, & de leur Ordre, mit sus le sien propre, LA TOISON D'OR: le fonda EN HONNEUR, & en netteté de Cheualerie, & en destruction de villains cas à ceux qui en seroyent: le fit dedier & confirmer par le saint Pere EVGENE: le mit & monta iusques ez Royales maisons, & iusques ez grands Ducs & Comtes du sang de France; & mesmes par les Allemagnes.* Vnde constat non merum esse Sodalitium, sed Ordinem SACRVM & SVMMVM. Sacrum vocat Iacobus Meyerus, hoc est totum in religione & pietate fundatum; Summum etiam, id est præcelsum: Sanmarthani fratres MAGNVM ORDINEM DOMUS AUSTRIACÆ nuncupant: Reges nostri SACRVM etiam, ANTIQVISSIMVM & NOBILISSIMVM; tum quia suis Constitutionibus, Normæ instar ac Regulæ, & Capitulis, sive Comitibus, in quibus correptiones morum procurabantur,

tur, pridem munitum: tum quia nullus ordo alius militaris in orbe Christiano tot Imperatores Regesque Sodales habuit. Horum enim anno Iubileo proximè elapso numerus erat vndeuginti; illorum omnino septem, præter Capita ac Supremos Ordinis. Id certum præterea atque exploratum est, nullum alium Regios inter Ordines in Ecclesiâ Catholicâ superesse, qui cum eo de antiquitate contendere ausit: vetustiores quippe Regij desière omnes. Neque est vt de Periscelide Anglicâ sermo fiat, quia à Regibus Catholicæ Ecclesiæ hostibus pridem est cum ferri coepit.

Iure itaque Rex noster insigni suo Torque gloriatur; vtpote quo Imperatores, Reges, Principes ac Proceres per Orbem Christianum de se & Augustissimâ Domo benè meritos condecorat: & verò quantum ad vltimos spectat, dixit haudquaquam illepidè laudatissimus Belgici in Hispaniâ Consilij Præses D. Inigus de Brizuela, Segouiensis Episcopus, *Hispaniam suos quidem habere Magnates, sed & Burgundiæ non deesse suos, Velleris nempe Aurei Equites, sanguine & heroicis virtutibus maximos.*

Vnus tamen è contrario Benauentani Comitum apophthegma celebrat Sandouallius, rerum à Carolo V. gestarum scriptor, ceterà non ignobilis, cum electioni de se in Comitibus Barcinonensibus factæ idcirco assentiri noluisse fertur, quòd insignia æquè antiqua, multò tamen vberiora quàm hoc ipsum peregrino è solo allatum, in Hispaniâ haberentur. Absit vt cuiusquam famæ ac nomini conuitium inferam; dicam tamen, quia laceffitus, scriptorem hunc iniuriam tam illustri Magnati fecisse, quia vulnus à Comite, ante responsionem hanc paulò acerbiolem, acceptum detegere operæ pretium est. Scilicet Ferdinandus Catholicus, Philippi I. Regis socer, & Ordinis Velleris Aurei Sodalis, cum aliquot nobilissimos Hispaniæ Proceres huic

Lib. 26.
§. 5.

Acta Oro.
d.nis.

D

Or-

Ordini adscribendos ipse elegisset, & ad Comitiam eorum indicem destinasset, fors fuit, vt ceterorum Sodalium vota in Benaudentanum minimè concurrerent, antelatis quibusdam aliis, quorum certè haud infima nobilitas; vt non iure Benaudentanus Comes, teste Sandouallio, eruperit in verba tam infueta, propter antelatos sibi plebeios. Hic fisto, quia rem in Historiâ traditurus sum ex Actis, eamque paulo aliter, quàm narrat Sandouallius, se habuisse referam.

Progreditur Sandouallius, scriptor in exteros mordax, & præter Historiæ leges Ordinis Velleris Aurei, & aliorum, quorum hodieque Cruces pectoribus assutæ passim in Hispaniis visuntur, comparationem instituit. Aberrat nobilis argumento suo Historicus. Suarum legum numquam poenitebit Aurei Velleris Torquatos, neque aliis annuos redditus inuidebunt, cum assueti Principi & Ecclesiæ ære suo inseruire, nullâ lucri spe laboranti matri adsint, & pingua aliis Nobilibus per Hispaniam Ordinibus beneficia suppetere vltro gratulentur. At Mauros, inquit, eiusmodi militiarum Equites Hispaniâ expulerunt: absit vt negem bellum illis propemodum cum barbarâ illâ fæcè anniuersarium fuisse, ob idque immortalem illis deberi laudem. Felicitas reliquæ Europæ fuit, tam importunis vicinis non laceffiri: minimè tamen otiosi Velleris Aurei Sodes genio indulgere; sed quoniam ædes propriæ minimè ardebant, alienis incendio flagrantibus adfuere; adeo vt vix vlli durantibus hisce bellis in Ordinem admitterentur, nisi qui prius annos aliquot in Hispaniâ contra Mauros, in Prussia & Liuoniâ aduersus Tartaros, ac denique in Oriente contra Turcas meruissent.

Loco citat. Silerem hîc, neque vltro Sandouallio reponerem quidpiam, nisi quod addit ipse, vel idcirco quia tacerem, verisimile videretur. Quidni reponam, cum & Carolum V. Imperatorem Ordinem hunc minimè æstimasse commemoro-

morat? Audiant, amabo, Sandouallij manes Carolum V. in Eremum Iustensem secessurum, cum Philippum filium ritu solemniter in Regio Palatii Bruxellensis Sacello Caput & Supremum Ordinis, Octobris die vigesima quinta anno M. D. LVI. renuntiavit, Torque ex humeris sublato, & fluentibus copiosè lacrymis, manu suâ filij humeris imposito, adstante Commilitonum coronâ, & memorandâ (vtpote quæ nec exemplum antè habuerat, nec fortassè habitura est) adiectâ formulâ: *Accipe Filium, quem è collo meo detraho, Tibi præcipuum Aurei Velleris Torquem,* *Cuperus in Anna-*
quem PHILIPPVS Dux Burgundia cognomine BONVS, *lib. Bra-*
Atavus noster, *bant. M. S.*
 MONIMENTVM FIDEI SACRÆ ROMANÆ
 ECCLESIAE esse voluit, & HVIVSCE INSTITVTIONIS AC
 LEGVM EIVS FAC SEMPER MEMINERIS.

Quid ad hæc modò Sandouallius? Eritne Vellus Aureum Hispanicis militiis inferius? Non ita sensere PHILIPPI Reges Secundus & Tertius, maximi Imperatoris heredes: prior enim in frequentissimis Iacobææ militiæ Toleti clarissimâ ciuitate coactis Comitibus, anno M. D. LXXVII. vno Ordinis Aurei Velleris Torque tantoperè sibi à Patre commendato amictus, interfuit. Alter verò etiam puer impositum humeris Torquem seriò sibi gratulatus, cum tenerissima sopori membra tradere tempus adfuit, adduci numquã potuit, vt charissimo pignore spoliaretur. Fuit etiam hoc futuri in Philippo II. consilij haud vanum augurium, quando tradito Isabellæ dilectissimæ filia Belgio, hoc unum sibi posterisque Hispaniarum Regibus, Burgundiæ Ducibus, decus seruare ac retinere voluit; vt sic non iam æstimationem modò, sed amorem Maximorum Christiani Orbis Regum extollere procliuis sit animus, nec ampliùs calumniæ sit locus, vbi quosdam Proceres ad collatum sibi huius honoris nuntium præ gaudio extinctos; imò & fugatam repentè pari casu triginta trium annorum febrim alibi referam.

*Relatio
M. S.*

D 2

CA-

CAPVT VI.

*Reges Catholici, Burgundiæ Duces, Capita
& Supremi Ordinis.**Constitut.
cap. I.*

I. **P**HILIPPVS Burgundiæ Dux, eius nominis III. à morum facilitate BONI agnomen consecutus, Ordinem hunc, vt iam antè diximus, instituit; voluitque successores suos Burgundiæ Duces eidem Sodalitio præesse, non vti rerum nostrarum imperiti loquuntur, *Magni Magistri*, sed *Supremi*, & *Capitis* nomine: & hunc ipsum honorem gessit ad annum vsque M. CCCC. LXVII. quo vitâ cessit, relicto Carolo, vnico ex Isabellâ Lusitanâ filio.

*An. 1433
Paradin.
in Anna-
lib. Du-
cum Bur-
gund.
f. Ianua-
rij.*

II. CAROLVS cognomento BELlicosvs, Burgundionum & Belgarum Princeps, Philippi filius, ipso baptismi sacro die Equestri dignitate à parente insignitus in Comitibus Diuionensibus, ipsius etiam Ordinis Torque tum temporis donatus fuerat: hinc velut in armis natus, in iis pariter extinctus, vbi anno M. CCCC. LXXVII. ad Nancæyum cæsus est, vnica relicta prole MARIA: quo tempore sexagesimum quintum Constitutionum Ordinis caput locum habuit, vbi decernitur, decedente sine liberis masculis Supremo, & Capite illius, quid consilij futurum sit. Certè etiam Ordini timebatur, cum MARIA heres, virili animo prædita, indignata patrimonium à Ludouico XI. Rege Francorum sibi præripi, nupsit MAXIMILIANO Archiduci Austriæ, inclyto principi, Frederici IV. Imperatoris filio.

*Abæ Or-
dinis.*

III. MAXIMILIANVS Austriacus, qui deinde Imperator eius nominis Primus, ductâ MARIA memoratâ, Caroli filiâ, illico vti Tertium Velleris Aurei Supremum & Caput decebat sese gessit, indictis Syluæducensibus

sibus Comitibus ; vbi renouato Commilitonum & Ministrorum Ordinis in eius nomen sacramento , ereptam Mariæ coniugis hereditatem grauitè vindicare conatus est , commissis hinc inde magni momenti præliis , donec pactis ad Syluanectum nuptiis Margaritæ filiæ cum Carolo Delphino , Ludouici XI. Regis & hostis filio , viâ iuris acturos sese de Burgundiæ Ducatu mutua vtrimque fidem dederunt. Ordinem porro rexit vnâ cum PHILIPPO filio , donec is suæ rei administrandæ idoneus , Ordinis quoque regimen in se suscepit.

I V. PHILIPPVS I. Castellæ Rex , inter Burgundiæ Duces nominis I V. vix delibatâ Ioannæ coniugis , Ferdinandi & Isabellæ Catholicorum Hispaniæ Regum filiæ , hereditate , diem claudit Burgis Castellæ anno M. D. VI. relictis Carolo V. & Ferdinando Primo , post eâ Cæsaribus.

V. CAROLVS Philippi Primi Filius , Hispaniæ Regum nominis Primus , inter Imperatores Quintus , Burgundiæ verò Duces Secundus , Ordinis Velleris Aurei , utpote Augustæ suæ Gentis Austriacæ maior natu , annos pubertatis ingressus , Supremum Ordinis Caput fuit ; Burgundiæ Ducatum pactis variis cum Francisco I. & Henrico II. Francorum Regibus , ad Madritum , Cameracum , Crispiacum conditionibus , recepturum illum primò spes fuit ; mox desperatâ restitutione , nullâque è multis conditionibus effectum sortitâ , vniversa controversia ad iuris terminos redacta est , continuato in posteros Burgundiæ Ducis titulo , annitentibus ad hoc Ordinis Velleris Aurei Commilitonibus : qui in Comitibus Ultraiectensibus anni M. D. XLVI. auctores eidem Imperatori fuerant , ne vllò pacto iure suo in Burgundiæ Ducatu vmquam renuntiaret. Tandem & huic & Ordini Ma-
Cap. V.
 ximus Imperator in Hispaniam secessurus in Philippi Filij fauorem renuntiauit , vti suprâ iam à me commemoratum est.

VI. PHILIPPVS Caroli Filius, inter Hispaniæ Reges II. Dux autem Burgundiæ V. celebratis Gandavi vltimis Ordinis Comitibus, & relictis pacto ad Castellum Cameracesij cum Francis inito, anno M. D. LIX. in eo statu, quo ante pacem Madritensem erant, suis in Burgundiæ Ducatum iuribus, reversus est in Hispaniam: & illic secutis in Belgio tumultibus, cum vix Ordinis Comitibus cogendis superesse locus videretur, & sine iis nemo in Sordalem Ordinis eligi posset, à Gregorio XIII. Pontifice Maximo facultatē impetrauit an. M. D. LXXVII. extra Comitibus, vi singularis rescripti, vacantia tum fortè demortuorum Commilitonum loca nouis electionibus restituendi. Et ea deinceps eligendi ratio obtinuit ad vsque PHILIPPVM III. Regem, vt mox sum dicturus: ceterum seruauit ipse titulum Burgundiæ Ducis, & Supremi Ordinis ad extremum vsque spiritum, etiam cum Belgium & Burgundiam liberam Alberto & Isabellæ Archiducibus Austriæ renuntiaret; iis tamen haud denegatâ, totique Maximiliani I. Imperatoris & Mariæ coniugis posteritati, communi Burgundiæ Ducum appellatione. Obiit. anno M. D. XCVIII.

VII. PHILIPPVS III. Hispaniarum Catholicus Rex, Burgundiæ Dux nominis VI. etiamnum puer paternâ Philippi Prudentis manu Torquem Ordinis accepit; & Pater ipse, haud quaquam remisso illi solito Constitutionum seruandarum sacramento, fideiussor esse voluit. Is cum haud maior Comitiorum cogendorum spes affulgeret, non vti Pater pluries petitis à Sede Apostolicâ rescriptis vti voluit; sed vnum dumtaxat quod ceterorum instar esset, & quo vitâ durante vti posset, à Paulo Papa V. consecutus est, anno huius seculi VI. vitâque cessit primo & vigesimo.

*Relatio
M. S.*

VIII.

VIII. PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex, Dux Burgundiæ nominis VII. præest Ordini feliciter, Constitutionum illius rituumque obseruantissimus, germanus vti PHILIPPI BONI sanguis, ita morum ac ceterarum virtutum, maximo Christiani Orbis Principe dignissimarum, heres; vt quantum debet Ordo ipse Philippo Bono tamquam Fundatori, tantum Philippo Magno debeat, prisca cultus conseruatori.

CAPVT VII.

Comitia generalia Ordinis: quid in iis fieri solitum, deque hodierno electionum modo.

MAXIMUM Ordinis ornamentum ac decus Comitia generalia fuere, quæ *Capitula* vocant, singulis annis primum, deinde tertio quoque anno, ac postremum ad Principis nutum, propter graues ac bellicas occupationes, indici solita. *Addit. Const. c. 20.*

De his ad Philippum I. Castellæ Regem verba faciens Oliuarius Marcanus vocat ea *Præcipuum ornamentum Vestrae Domus*; & alibi, *Vestra Domus triumphum*: nec immeritò, vtpote cui interesse visi sæpissimè non modò Principis clientes, sed etiam ex Angliâ trajecto Oceano Britanni, aliique remotiores populi. *In Epist. M. S. Meyerus ad ann. 1461.*

Aula Principis, etiam prius quàm summa Ordinis Præfectura ad Reges perueniret, Regiâ quâlibet superior, vel sola exteros per se alliciebat: Procerum deinde Ordinis Commilitonum numeroso mitatus eò confluebant, vbi mox festo apparatu Caput Ordinis & Sodales, assumptis sumptuosis atque splendidissimis vestibus, quolibet die mutandis, per triduum Diuinis intererant, & unâ Ordinis Ministri cum illis: vixque vllus Nobilis benè de Principe meritis, etiam qui esset extra Sodalitium, inde *Constit. cap. 21.* *Acta Ordinis.* rece-

recedebat, nisi aliquo decore, ut Equestri dignitate auctus, & manu Principis gladio tactus.

Constit. cap. 49. Quæ autem per id tempus intra Sodalitium gerebantur, tria fermè fuerunt: de mortuorum nempe ab ultimis Comitibus Sodalium nomina referebantur, adjecto suo cuique elogio. Et is honor primùm Roberto Masminæ Domino, illustri Flandriæ Baroni, qui & Sodalium primus in Ordine mortuus est, delatus fuit. Sequebatur electio, quæ per arcana vota, Cancellario ea colligente fiebat; & illicò vulgabatur in quem plura consensissent. *Cap. 55.* Postremùm de correctione agebatur; & Sodale in cuius mores inquisitio fiebat egresso, si vacaret culpâ, coràm laudabat eum Cancellarius; si reus alicuius criminis etiam leuis compertus esset, reprehendebatur eiusdem Ministri organo; cuius sermo non Cancellarij, sed Capituli totius vox & consensus existimabatur.

Hæc ad Capitulum spectarunt: Diuinâ porrò Officium in Vesperis, tum in Sacrosanctæ Missæ Sacrificio, eâ pompâ toto illo triduo celebrabantur, ut nihil suprâ videri aut desiderari vspiam posset.

Suprà cap. VI. Tria in vniuersum supra viginti Comitibus eiusmodi fuerunt celebrata; & omnium vltima, quæ Philippus II. Rex Hispaniam petiturus Gandavi coëgit an. M. D. LIX. ut alibi iam dixi: postmodumque sibi vni, de Summi Pontificis veniâ, electiones attribuit; quia visum, quamdiu Comitibus indicendis non esset locus, haud melius rationem constare posse, quàm si vni redderetur: & is modus hætenus in usu fuit Philippo Secundo, Tertio & Quarto regnantibus, uti suprâ memini.

Sodalium porrò in Comitibus electorum vltimus in viuis egit PETRVS ERNESTVS Comes Mansfeldius, Belgij quodam Præfectus; qui obiit anno Christi M. DC. IV. ætatis suæ supra centensimum tertio.

CAP.

CAPVT VIII.

Scuta gentilitia Commilitonum in Comitibus: Et nonnulla de libro quem REGIS vocant.

IN prædictis Comitibus, vti etiamnum Bruxellæ, Barcinonæ, Antuerpiæ, Gandavi, & alibi in templis intueri licet, ipsi cuiuslibet Commilitonum sedili proprium militare scutum, galeâ, apice & laciniis ornatum ad memoriam relinqui mos fuit. Iam verò, quia minimè indicuntur Comitibus (quæ tamen indici possunt) à Caroli V. Imperatoris ætate, hæc ipsa Procerum qui in Ordinem admittuntur Insignia, eo planè modo quo depicta olim erant in templis, in codicem singularem, quem LIBRVM REGIS vulgò vocant, referri solent, & vnicuique debitus ordo & gradus seruari.

Consuetudo vetus fuit, vt galea vnica, & vnus apex, non item plures (vt Germani Proceres solent) vni scuto imponerentur: ex quo tamen Philippus II. Lusitaniam ceteris Hispaniæ Regnis adiecit, ipsemet galeas tres (vtpote veterum Castellæ, Arragoniæ & Portugalliæ Regum proprias) ferre cœpit; ceteris exinde Proceribus binas ferre galeas, totidemque apices gentilitios etiam licuit. Binas inquam; alteram videlicet obuersam alteri & inclinatum, ita vt nulla in medio existat, quæ recta sit: hæc enim propria clientum non est, sed par illi cum antiquis Monarcharum Tiaris situs, quem Seneca *solis datum Regibus* memorat, *vt rectus esset*: quam Cordubensis sententiam iisdem propemodum verbis Suidas firmat: vt non immeritò idem Philippus Rex Catholicus, horum rituum maximè sciens, Madriti ciuem quendam nobilem publico in loco hac in re peccasse suis ipse oculis animaduertens, emendare protinus errorem iusserit, ne vitium vltra serperet.

Lib. 6.
de Benefi-
ciis c. 31.

E

CAP.

CAPVT IX.

*Numerus Commilitonum & Ministrorum Ordinis:
accuratissimus in iis assumendis delectus.*

PHILIPPO Ordinis conditori visum, non vulgandam multitudinem compotum eiusmodi laudem, sed cum paucis communicandam: quocirca primis in Comitibus quatuor & viginti fuere, donec Diuione, ubi tertio celebrata sunt, additi praeterea feni; ita ut praeter ipsum Philippum, terdenis haud plures essent. Eumque numerum seruari placuit, donec aucti domini fines praetergressa Philippi soboles, tandem arcano Numinis consilio, Hispaniam, Siciliam utramque, & Mediolanum pristino prouinciarum aceruo adiecit: tunc enim Proceres tam vasti Imperij hac ipsa Velleris Aurei illustrissima nota condecorare operae pretium fuit: atque ita Carolus V. Imperator, qui primus antedictis potitus est ditionibus, de Leonis Papae X. veniam (*Licet, inquit Pontifex, forsitan id aliam ordinariam auctoritate fieri potuisset*) tricenario numerum vicenarius auxit anno M. D. XVI. duratque ea mutatio in hanc diem; nisi quod semel dumtaxat, anticipatis electionibus, septem supra numerum eundem electi fuerint, cum de nouo Commilitonum augmento ante annos viginti ageretur: verum de consilio Sodalium, qui in Belgio tum temporis versabantur, e re & aestimatione Ordinis fore existimatum est, si non ultra numerum quinquagenarium de eiusmodi incremento tractaretur.

Haec de numero; pauca iam de ipso delectu subiungo, qui & Candidati genus & virtutem spectat. Regio sanguine satus, nobilitatem generis velut communem virtutum omnium fontem esse non ignarus Ordinis institutor,

*Addit.
Constitut.
cap. 7.*

tutor. *Commilitiones suos, nomine & armis sine macula Nobiles*, futuros deinceps edixit, iussitque per omnes quæ patebant Belgij & Burgundiæ ditiones, accuratissimos indices à Fecialibus fieri eorum qui eiusmodi nobilitate pollerent Baronum Procerumque.

Vt autem sciatur, quid Constitutionis prædictæ verba sibi velint, docet Oliuarius à Marca, *Eum nomine & armis nobilem esse, qui proprii cognominis Tesseram gentilitiam gestat, & eo sanguine genitus est, cuius idem insigne & nomen propria sint.* Cùm verò hæc ipsa cognomina à Dynastis plerumque mutuati fuerint antiquissimi earumdem possessores, & eæ à Conradi Imperatoris temporibus tantùm hereditariæ esse cœperint; eorum deinde appellationes pro hereditariis cognominibus vsurpari iam abhinc annos plus trecentos defierint; constat vetustissimum genus Commilitonum cuiuslibet debere esse, & quod omnem retrò, vt sic dicam, monumentorum memoriam superet. Nempe riuulorum est fontem illicò ostendere, contrà verò fluminum haud minimum decus, si ortus eorum repetatur, adeò longinquos anfractus & remotos sinus obiicere, vt quærere vltra curiosus indagator desinat.

Macula, quæ carere Commilitonem est opus, & generis & personæ est. Si generis, ne auditur quidem Candidatus; si personæ, haud minor est hodiernus rigor, atque is quem expertum memorant Ludouicum Cabilonensem sub ipsa Ordinis initia, ob id solùm, quòd vexillis explicatis strage suorum editâ receptui cecinisset, etsi plurimum famæ consecutus, quia Rhodani rapidissimum alueum cataphractus traiecerat.

Ceterùm damnandus leuitatis Sandouallius, qui tradit, in Bruxellensibus Comitibus anni M. D. XVI. *Aurei Velleris Torquem datum abiecta stripis viris, qui nec merita nec*

constit.
cap. 1.Lib. M. S.
de Arte
Heraldicæ.Constit.
Feudal. lib.
I. tit. 10Acta Or-
dinis.Chesneus
Histor.
Burg.
lib. 4.cap. 63.
Lib. 2.

S. 35.

Lib. 26.
S. 5.

opes habebant; id ita volente Guilielmo Croyo Cheuræ Domino, qui apud Carolum Regem gratiâ pollebat. Si enim Equitum tunc in capitulo generalium electorum catalogus ab ipsomet Sandouallio alibi relatus attentè inspiciatur, illud falsum esse palàm constabit. Neque est vero simile Croyum, etsi Regis adolescentis gratiam promeritum, suffragia Sodalium sic in manu habuisse, ut eos dumtaxat Torquati deligerent, quos ipse haberet in mente. Sed ita plerumque solent Principum gratiâ clari aulicorum linguis & scriptorum calamis perstringi temperantiùs.

Ordinis porrò Ministri quatuor sunt; CANCELLARIUS nempe, cui de rebus Ordinis cum Rege tractatio; & ob id in Aulâ Hispanicâ continuò versatur: THESAVRARIUS deinde, qui agit Bruxellæ in Belgio; & cui monilium, vestium, instrumentorum ac librorum custodia incumbit: tum SCRIBA, siue GRAFIARIUS, cuius partes sunt, litterarum ac diplomatum expeditiones curare: demum FECIALIS, qui Regios inter muneris sui Ministros primus, VELLVS AVREVM nuncupatur; & legationes obit.

CAPVT X.

Amictus & vestes Sodalium ac Ministrorum Ordinis.

SODALES militari sago assuetos, togam talaresque vestes etiam sumere interdum est moris, eas nempe quas Carolus Audax natalis Andreani primo die, ut mox dicam, ferri iussit, planè regium in modum, quæque haud mediocrem, quoties gestantur, famam ac nomen tam inclyto Ordini conciliant: verùm quia earumdem pretium pompæ augendæ haud semel auctum est, dicam quid in eis subinde immutatum sit.

PHILIP.

PHILIPPVS Institutor, capitium orbiculare in humeros decidens, & chlamydem promissam, è lanâ quidem omnia, sed murice tineta, & vario vellere minuscule suffulta esse voluit, iussitque limbos externos, concinnè dispositis filicibus igniariisque symboli sui, & inde scintillis erumpentibus aureis phrygij operis, ornari, adiectis eadem acu pictis lemmatis sui verbis, AVTRE N' ARAY; quod Latinè effere licet, NON HABEBO ALIUD: symbolum nempe ac desiderium aliud nullum ipsi futurum, præter vnum, bello iustâ ex causâ indicto & incitato igne inclarescendi. Officio autem perendie in mortuorum Sodalium gratiam & opem celebrando, eundem capitis ceterique corporis amictum è panno item laneo, sed nigro, esse similiter contextum, limbo tamen excepto, imperavit.

*Constitut.
cap. 25.*

At CAROLVS eiusdem Philippi Filius hæc cauit: Primo die natalis Andreani, capitium chlamydemque è coccineo panno sustulit, & quidquid panneum siue laneum fuerat, holosericum, sed purpureum esse voluit, serico albo suffultum, limbo phrygij operis, filicis igniarij, scintillarum, vt antea seruato; (quia hoc non tam Philippi Boni, quam Ordinis ipsius symbolum fuerat;) solo lemmate immutato, & repositis proprii symboli verbis, IE L'AY EMPRIS; id est, ILLVD SVSCEPI; arduum & eius votis haud impar pronuntiatum.

*Addit.
Constitut.
artic. 3.*

Quoniam verò togis à Philippo Patre minimè consultum fuerat; & eæ vel cæruleæ, vel coloris varij, pro cuiusque arbitrio esse poterant, statuit Carolus ex holoserico item purpureo futuras. Sequenti diei, qui defunctorum Sodalium memoriæ sacer est, nihil addidit imminuitve: at tertio die, quo natalis Andreani annua triduana celebritas clauditur, & beatissimæ Virginis, cuius venerationi plurimum fuit addictus, vti patrocini illius hac die implorandi auctor fuit, sic proprias eidem vestes adiecit,

E 3

voluit-

voluitque vestes è serico albo omnes fieri, sine chlamyde tamen, seruato Andreani Officij sive prioris diei Officio.

Tandem Philippus quoque Prudens, Hispaniarum Rex nominis II. mutationem induxit vestibus, sive vniuerso secundæ diei amictui, qui ex panno nigro antè fuerat, ex holoserico similiter atrato fieri deinceps iusso: quod illicò præstitum in Comitibus Gandauensibus an. M. D. LIX.

Diu exin omisso harum vestium vsu, non indictis ab illo tempore Comitibus, vix educi coeperunt, nisi vt ad electos Reges vnà cum Torque deferrentur; & Romæ insuper visæ, cum Legatus illic Regius, Villenæ Marchio & Escalonæ Dux, anno M. DC. V. Martio Columnæ, Zagaroli Duci, Torquem imposuit.

Hodie tamen PILIPPO IV. Regi placuit amictum eundem in Belgio renouari, datis ad Isabellam Infantem amitam litteris anno M. DC. XXXI. Et id in annuo beati Andreæ festo, ac singulis Equitum inuestituris à Commilitonibus & Ministris quatuor obseruatur.

C A P V T X I.

Constitutiones & Præuilegia Sodalium, & quatuor Ministrorum Ordinis.

EDIDIT Philippus Bonus Insulis Flandriæ, elapso ferè post Institutionem anno, Constitutiones capitibus sexaginta & sex distinctas, eâ prudentiâ, vt Ludouicus XI. Francorum Rex, paterno solio ab eodem Philippo Duce restitutus, cum Michaëlis Archangeli Sodalitio initium daret, eas ad verbum exscripserit. Deinde ipse Philippus, & qui eum secuti sunt, Carolus Audax, Philippus Pulcher, Carolus V. & Philippus Prudens suas quilibet additiones vulgarunt, paris omnino cum ipsismet Constitutionibus auctoritatis.

Harum

Harum idioma fuit à principio Gallicum, vel, si id nomen displicet, Burgundicum, quod & aliis in rebus passim à retinentioribus dignitatis suæ Principibus in Belgio hætenus vsurpatum est; adeò vt nec Albertus Pius, cum Valentia à Philippo III. Catholico Rege Ordinis insigne acciperet, & in Belgio deinceps, in his quæ ad hoc Sodalitium spectarunt, aliud idioma adhiberi voluerit.

Nihilominus operæ pretium fuit eas in Latinum sermonem vertere: quod primùm Philippi Nigri, Harlebecani in Flandriâ Præpositi, Ordinis Cancellarij, stylo præstitum: atque iterum, & quidem paulò elegantiori, Nicolai Grudij, eiusdem Sodalitij Scribæ. Accidebat quippe, nonnullos per orbem Gallicæ lingue imperitos Principes harum Constitutionum vnicum idioma non probare. Imò festiuus in primis fuit Vrbinatum Dux Philippo II. regnante, cum oblatum sibi codicem Gallicè conscriptum renuit admittere, & Latinum prætulit; quod inquit in Gallos numquam benè affectus fuisset.

Vti Commilitones, sic etiam Ministri habent muneris quisque sui Constitutiones, hætenus tamen minimè typis editas, primùm superioribus Commilitonum imixtas, postea verò seorsim, vti modò habentur, exscriptas, & Gallici huc vsque tantum idiomatis.

PRIVILEGIA porrò vel à Pontificibus, vel à Regibus Principibusq; Ordinis Capitibus ac Supremis manarunt. Piora LEONEM X. auctorem habent, & is Ordinis Cancellario, aut illius delegato, Sodales Ministrosque à censuris & grauioribus quibusdam criminibus, quæ fusè illic referuntur, absoluendi facultatem contulit; vota item commutandi, exceptis tantum excipi solitis; semel denique quolibet anno & in articulo mortis plenariam à peccatis omnibus absolutionem auctoritate Apostolicâ suspendendi; Sodalibus verò ac Ministris, ovis & lacticiinijs
per

per Quadragesimam vtendi; duas Ecclesias, seu duo vel tria altaria vnius vel diuersarum Ecclesiarum, in partibus vbi singulos eorum pro tempore residere contigerit, eligendi, quorum in visitatione quadagesimalibus, & aliis diebus, Stationum Ecclesiarum Urbis & extra muros illius, easdem planè Indulgentias consequantur; diuina deinde mysteria domi peragendi, & eorum vxoribus & filiabus facultatem Monasteria Monialium sanctæ Claræ & aliorum Ordinum quorumcumque, etiam inclusarum, de consensu Præfectarum, pietatis ergo adeundi & ingrediendi, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus contrariis factis & in posterum faciendis. Quæ quidem

Sess. 22. in
decret. de
observand.
& eui-
tand. in
celebrat.
Missæ.
Franc.
Zypaus
tit. de ce-
lebrat.
Missæ.

ultima duo, tametsi pluribus quàm priora post Concilij Tridentini decreta difficultatibus obnoxia videantur, tamen in Hispaniâ hætenus vi huius ipsius indulti seruari animaduertimus; vt non immerito hodierni cuiusdam Iurisconsulti, viri in primis docti, sententiæ hic locus sit, vbi ait: *Concilium Tridentinum voluisse abusus tantum tollere.*

Nonnulla autem ex iis quæ à Principibus, vti Carolo Audace, Maximiliano I. & Philippo II. collata fuere, sunt, vt Commilitones Torque huius Ordinis insigniti, primi ab ipso Capite in festiuo quouis apparatu procedant, Consanguineis & Principi propinquis, si adsint, & eiusdem Cancellario exceptis: tum ne iidem Sodales & Ministri vlla vectigalia, quouis nomine appellentur, persoluant, aliaque.

At PHILIPPVS Magnus hodiernus Rex, cum postremo illi de immunitatibus priuilegio alicubi controuersia moueretur; eâ tantisper suspensâ, addidit amictuum Ordinis, quoties coetus Capitulares coguntur in Belgio, renouationem; ius illic tegendi capitis diebus quibus Torques magnus à Sodalibus geritur; imò proprio motu,
&

& vberiori gratiâ, illis concessit in regium suum cubiculum & in omnia palatia sua ingressum, quo fruuntur Magnates, qui in istis Hispaniæ Regnis tegendi capitis ius habent.

CAPVT XII.

*Capella Ordinis; æstimatio illius; & prætereà viro-
rum Nobilium duodecim Hospitale seu
Parochotrophium.*

EGI alibi scripsique de hac ipsâ Diuionensi Cappellâ, non tamen vti de proprio Ordinis loco. Hanc à fundamentis erexerat Hugo III. Burgundiæ Dux, qui *Æ Cubile & Reclinatorium animæ suæ, Ducatus caput, & Turrim salutis Ducum*, appellare eam non dedignatur. At Philippus noster, Hugonem secutus & imitatus, loci maiestatem auxit, quia natus in Palatio, Diuionensi Cappellæ proximè adhærenti, baptismum in eâ susceperat: vnde eam vocat *Parochiam suam*; & rationes congerens, cur eam plurimùm dilexerit, elegit eam singulari diplomate *in locum & Capitulum Ordinis sui*; de quæ eâ in Constitutionibus meminit, & eam auxit præbendis quatuor, sic, vt in posterum quinque & viginti Commilitones Ordinis essent, ita illicitotidem Canonici recenserentur, seruato Sodalibus & Ministris Ordinis ibidem sepulcri iure, & indictâ Clero solemnè iustorum persolutione.

Hunc ipsum locum putarunt exteri, in quo repositum olim (si quæ viro erudito fides) beati Epiphaniij Ticinensis Episcopi oblatum Gundebaldo Burgundionum Regi donum: Hostia nempe à se ritè consecrata, cùm ei ob id quindenos millenos gentis Italicæ captiuos, rogatu suo

*Aula sacra
Principum
Belgij
cap. 5.
num. 6.*

*Constitut.
cap. 2.*

*Berward.
Saccus
Ticinens.
Hist. l. 7.
cap. 13.
& 14.*

fuo libertati restitutos, in patriam reuersurus gratias ageret; adiecto, vti ferunt, vaticinio, malè olim ei cessurum, qui pretiosum edeò thesaurum inde conaretur auferre.

*Cl. Robert. in
Diuisione.*

De recentiori, & quidem ipsius **EVGENII** Papæ IV. dono, illic item collato, fides certa est: Hostia similiter fuit, sed quæ à viro impio percussa summo miraculo cruorem emiserat; quæque ab Eugenio mirum in modum æstimata, Roberto Anclou, Capellæ eiusdem Canonico, & Philippi Ducis in Aulâ Romanâ Oratori, tradita legitur. Coruscavit exinde tot miraculis, vt **SANCTÆ CAPELLÆ** nomen gerat: & egomet fatebor, me non frustrâ loci religione ductum, cum ab Rego nostro optimo maximo in Catholicam hanc Aulam euocatus anno **M. DC. XLIX.** obuerfantibus nequidquam terrâ marique periculis ob negatum mihi à Francorum Rege per Franciam transitum, simulatâ mox veste id ipsum iter alacriter & feliciter perfecisse, Numinis illic præsentis ope singulari fretum; cui nouo Cancellarij huius Ordinis titulo auctus, in Capellâ ipsâ, in quâ sepulcrius esse coeperat, vota omnia consecraueram.

Ceterum **PHILIPPVS** nedum in Dei ministros, sed etiam in viros Nobiles duodecim, sine maculâ tamen & fortunâ aduersante, nullâque suâ culpâ ad inopiam redactos, ædes reditusque attribuit, dato Registeti diplomate anno **M. CCC. XXXII.** Et hæc ipsa pia institutio est, cuius in vigesimo Constitutionum capite mentio occurrit.

CAP.

CAPVT XIII.

Sodalium felices obitus, & mutua post obitum suffragia.

Vix aliàs potuit infelix esse Commilitonum obitus, quia vel iam expiatis bello in Turcas Tartaròsve, & Ecclesiæ Catholicæ hostes, noxis, vel in ipso militia suscipiendæ voto, contingebat emori. Debetur proculdubiò id ipsum singulari beatissimæ Virginis Matris patrocinio, & Andreæ Apostoli, qui cum præco primus gratiæ fuerit, neminem illius expertem, qui nomini eius deuoti fuerint, abire finit è sæculo. Præscire diem obitus, & aduenientem mortem intueri, etiam quorundam priuilegium fuit, addam & præ gaudio efflare animam. Sed hîc à quoquam negari non potest, quia recens & ante oculos, vti ita dicam, nostros, à Ioanne Comite Nassauio, Belgici nuper equitatus Præfecto, huius Ordinis Commilitone in supremis agente gestum. Is illius in Misericordiæ Matrem affectus fuit, vbi vltimus reddendarum Anno
1638. rationum appetiit dies, vt aram ipsi marmoream in Augusto Bruxellensi Societatis IESV templo uoluerit erigi; & cum Viaticum in palatio suo Rotnacensi ritè acciperet, iussâ adesse vniuersâ familiâ, nominatim quoque vocarit Germanum quemdam clientem suum Sighemiensem, mox in patriam reversurum: & huic propiùs accersito mandarit, vti ceteros clientes suos à Religione Catholicâ deuios certiores faceret, vidisse se morientem Dominum in Catholicæ Ecclesiæ sinu; atque hortantem illos vti vitam agerent, quam exitus adeò felix aliquando esset excepturus. Hoc vnum è multis Commilitonis

exemplum fit, non suam modò sed proximi quoque salutem procurantis.

Const. 86.

Excipere solet felicem exitum mutua Sodales inter per vniuersum orbem recordatio: monentur quippe omnes (& hoc munus singulis olim Ministris Ordinis commune fuit; postea verò quibusdam, vt Scribæ, & Feciali, seu Velleri Aureo impositum, tandem charitas ipsa commune omnium iterum effecit) teneri eos ad Sacrificia quindecim procuranda, totidemque solidos, eleëmofynæ nomine, quæ defuncto ex Ordine cuiuslibet persolui debent; vt si negligentia fortè adfit huic Officio præstando, præter Sacramenti neglecti poenam, etiam aliquando grauis futura sit Fundatoris exprobratio; qui non adeò paucas persoluere solitus erat Missas; *Imò quoties, inquit Filatrius iam alibi laudatus, domesticorum aliqui, siue morbo siue alio modo interirent, clam iubebat celebrari Missas pro animâ Baronis vnus quadringentas quingentâs ve; pro Equite trecentas, pro Nobili ducentas; & pro alio quolibet, etiam si è coquina infimus esset famulus, centenas.*

CAPVT XIV.

*Eximius in Virginem cultus; & Natalis Andreanus,
Festus Ordinis dies.*

VNA cum Fidei Christianæ rudimentis Andreas Apostolus eximium in Virginem cultum Burgundionibus pristinis in sedibus, & priusquam in Gallias irrumperent, instillauit. Ita cum Filio IESV CHRISTO etiam Virgo Mater cognita singulare gentis patrocinium fuit, & primæ illi post Filium ædes à Burgundionibus dicatæ: imò & in bellis communi & imperato à Principibus

pibus clamore gens ipsi tota consecrata est: moris enim fuit uti ruentibus in hostes Burgundionibus, Virginem Matrem vno ore implorarent his verbis, *Nostre Dame, Bourgongne.*

Fuit etiam Apostolo suus honos, & signifer gentis, tradito illi ante pectus salutari crucis signo, factus est. Crux enim decussata, quam Andreanam vulgus appellat, & Heraldorum schola *Saultoir*, quasi σωτήριον, fuit, & Salvatoris signum, ut inde vocatum patris mei sit coniectura non ignobilis.

Memor igitur & Virginis & Apostoli Philippus Bonus Ordinem Velleris Aurei utriusque consecrauit, & sine damno prisca clamoris bellici addidit & hunc in Apostoli gratiam, MEVM GAVDIVM SANCTVS ANDREAS; vulgò, *Mon ioye saint Andrieu*: quia exardescente ad bellum Turcis inferendum animo, vota sua commisit Apostolo, cui Ecclesia Græca siue Orientalis plurimum velut Fundatori suo debet, & quem par fuit credere propitium suis Burgundionibus ad ferendum Thracibus, ipsius item clientibus, auxilium, sine vllâ dubitatione adfuturum.

Eâ de causâ celebratur in Ordine Natalis Apostoli quotannis solemni ritu, in Belgio quidem, quia Burgundici nominis ibi maior est memoria, & Ordo ipse ibi inchoatus: eundem quoque in Hispaniâ celebrarunt Reges, rariùs tamen, & sine solito Sodalitij conuiuio, cum Rex illi interesse minimè possit pro more gentis; ubi neque cum Reginis affidentes mensæ Reges vniquam videntur; & pro singulari priuilegio fuit, cum qui hodie præest Philippus IV. omnibus animi dotibus Rex maximus, Carolum Walliæ Principem, Anglorum postea Regem, nuper infelicissimum, qui tum fortè vnâ cum illo



illo venatum ierat, strato humi & in herbido solo mantili, leui, & quale venatorum esse solet, prandio excepit.

Hæc addidi, ne conuiuium fortè aliquando in Andrea Natali omissum Ordinis æstimationem vllò modo minueret: norunt quippe Reges nostri maximi piissimique aliis quoque modis Diuum & eius patrocinium colere: & præluxit aliis Philippus Prudens testificandæ in Apostolum gratitudini, vtpote cui in ciuitate Amalphitanâ quiescenti, regio verè sumptu aram excitavit, quæ & Apostolo & se digna posteris testaretur, minimè ad Nancyum cum Carolo Audace gentis Burgundicæ splendorem & maiestatem concidisse: imò, vt ait magnus Antistes Amalphitanus, *de celo optimè meritus, Apostolicis confirmatam suffragiis, sibi ac Domui suæ prorogauit delapsam à celo felicitatem.*

Angel.
Piscus in
Epist. ad
Clerum
& Popu-
lum A-
malphit.
an. 1638.

FINIS.



INDEX CAPITVM.

- C**APVT I. PHILIPPVS
BONVS, Dux Burgundia,
Ordinis Institutor. 1.
- C**APVT II. Ejusdem PHILIP-
PI Fundatoris in Ecclesiam
obsequia. 5.
- C**APVT III. Causa Ordinis
instituti, & Origo nominis. 7.
- C**APVT IV. Symbolum PHI-
LIPPI BONI, eoque contextus
Torques, Insigne Ordinis.
10.
- C**APVT V. Ordinis confirma-
tio Apostolica, ejusdemque per
vniuersum Orbem aestimatio.
12.
- C**APVT VI. Reges Catholici,
Burgundia Duces, Capita &
Supremi Ordinis. 16.
- C**APVT VII. Comitia gene-
ralia Ordinis: quid in iis fieri
solutum; de quo hodierno ele-
ctionum modo. 19.
- C**APVT VIII. Scuta genti-
litia Commilitonum in Comi-
tij: & nonnulla de libro quem
REGIS vocant. 21.
- C**APVT IX. Numerus Com-
militonum & Ministrorum
Ordinis: accuratissimus in iis
assumendis delectus. 22.
- C**APVT X. Amictus & vestes
Sodalium ac Ministrorum
Ordinis. 24.
- C**APVT XI. Constitutiones
& Privilegia Sodalium, &
quatuor Ministrorum Ordi-
nis. 26.
- C**APVT XII. Capella Ordinis;
aestimatio illius; & praeterea
virorum Nobilium duodecim
Hospitale seu Parochotro-
phium. 29.
- C**APVT XIII. Sodalium fe-
lices obitus, & mutua post
obitum suffragia. 31.
- C**APVT XIV. Eximius in
Virginem cultus; & Natalis
Andreanus, Festus Ordinis
dies. 32.



APPRO-

91/17/290
APPROBATIO CENSORIS.

BREVIARIUM istud HISTORICVM Inclyti
Ordinis VELLERIS AVREI, Auctore No-
bilissimo D. IULIO CHIFLETIO, Regiæ Catho-
licæ Maiestati à Consiliis, & eiusdem Ordinis
CANCELLARIO, saluam mouet Magnatum at-
que Eruditorum palato; crustus nimirum magni
Operis de Ordinum maximî Historiâ; cuius qui-
dem Opusculi pretium rarâ doctrinâ & ipso argu-
mento aureum esse censui, Bruxellæ Kalend. Aug.
M. DC. LI.

*Antonius Sanderus S. Th. Licentiatus,
Canonicus & Scholasticus Iprensis,
Librorum Censor.*



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

